



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1675**

Titulus. XI. De Plus petitionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

maritum, tunc de ea prius cognosci debet, quam super causa principali matrimonij sententia feratur, & sufficit, si super hac pronuncietur, *num. 1. & secundo, & tribus seqq.*

*§. II. Quomodo, seu quo ordine procedendum sit in causa, seu questione spoliationis?*  
*pag. 172.*

**ASSERTIO I.** Si Reus spoliationem opponat contra Actorem spoliante[m], per modum exceptionis; tunc prius est audiendus super exceptione spolij, eaque probata, non cogitur respondere Actori, nisi prius restituatur: si vero Reus conventus spoliationem opponat, per modum actionis, tum utraque quaestio simul tractari, ac terminari debet, & probata spoliatio restituendus erit, *n. 6. 7. 8. & 10.* Plures tamen sunt casus, in quibus exceptio spoliationis contra spoliatorem opponi non potest, *num. 9.*  
**Assert. II.** Si spoliatus agat possessorio ac restitutionem rei vi ablatæ contra spoliatorem, & hic velit illum reconvenire super petitione alicuius rei, non est audiendus, nisi spoliatus reconveniat super alia spoliatione: quamvis spoliator per oppositam exceptionem alterius spoliationis possit spoliatum ab agendo repellere, *n. 11. & seq.*

*§. III. An, & quâ ratione, si in Iudicio incidat questio, proindicialis ipsius causæ principali, prius de questione incidente cognoscendum sit, quam de causâ principali?* *pag. 174.*

**ASSERTIO I.** Si questio incidat propriè pertinens ad forum Ecclesiasticum, ex cuius decisione principalis questio pendet, v. g. si petenti hereditatem obijciatur defectus natalium, tum Judex secularis non debet cognoscere de causa principali, scilicet petitione hereditatis, nisi questio incidens de defectu natalium prius à Iudice Ecclesiastico decisa fuerit, *n. 13. & tribus seqq.* Quod si questio spiritualis incidat in Iudicio seculari, tum Judex Ecclesiasticus inhibere illi potest, ne ultra procedat, vel cognoscat de causa principali, *num. 17.* **Assert. II.** Si questio præiudicialis incidat in causa aliqua, v. g. questio criminalis, quæ præiudicat causæ civili, sive etiam questio criminalis, quæ præiudicat criminali, tum questio præiudicialis incidens prius tractari, & decidi debet, quam causa principalis, quamvis hæc prius sit mota, & maior, *n. 18.*

**SERIES CAPITULORUM.**

**IN ANTIQUIS.** *c. 3. num. 13. & quatuor*  
*c. 1. n. 1. & pluribus seqq.* *seqq.*  
*c. 2. n. 6. & duobus seqq.* *c. 4. & ult. n. 11. & seq.*

**TITVLVS XI.**

**DE PLUS PETITIONIBUS?**  
*pag. 177.*

*§. I. Quibus modis plus petatur?* *pag. 177.*  
Quatuor sunt modi plus petendi, causa, re, loco, & tempore, *num. 1.* Quomodo plus peti dicatur causa? *num. 2. & 3.* Quomodo re, seu quantitate? *num. 4.* Quomodo loco? *num. 5.* Quando tempore? *n. 6.* Quomodo ante conditionis eventum possit quis dici plus debito petere? *cit. n. 6.*  
*Tomus II.*

*§. II. Quæ sit pœna plus petentium?* *pag. 179.*  
De hac agitur *num. 7. & tribus seqq. cap. unice in princ. & §. Te quoque, num. 1. & seqq. & §. Punitur; num. 7. & tribus seqq.*

**TITVLVS XII.**

**DE CAUSA POSSESSIONIS, ET PROPRIETATIS.** *pag. 181.*

*§. I. Quid, & quoruplex sit possessio, quomodo à proprietate differat, & quæ sint commoda, seu privilegia possessionis?* *pag. 181.*

Vnde dicta sit possessio? *num. 1.* Quid sit possessio, & quomodo definiatur? *num. 2.* Quomodo dividatur? *num. 3.* Quomodo differat à proprietate, seu dominio? *num. 4.* Quæ sunt commoda, seu privilegia possessionis? *num. 5.*

*§. II. Quibus modis possessio acquiratur, vel amittatur?* *pag. 183.*

Quibus modis acquiratur possessio rerum corporalium? *num. 6. & 7.* Deducuntur corollaria, *n. 8. & 9.* Quibus modis acquiratur possessio, vel quasi possessio rerum incorporalium, seu iurium, & quid ad eam acquirendam requiratur? *n. 10.* Quomodo acquiratur possessio servitutium, sive affirmatarum, sive negatarum? *num. 11.* Quomodo possessio jurisdictionis, *n. 12.* Quibus modis amittatur possessio? *n. 13.*

*§. III. De Iudiciis, seu remediis possessoriis in genere, & in specie, coram quo Iudice institui debeat Iudicium possessorium in rebus spiritualibus?* *pag. 186.*

Triplex est Iudicium, seu remedium possessorium, scilicet adipiscenda, retinenda, & recuperanda possessio, *n. 14.* **Quæ. I.** Quot, & quæ sint interdicta adipiscendæ possessionis? *n. 15.* **Secundo.** Quot, & quæ sint interdicta retinendæ possessionis? *n. 16.* **Tertiò.** Quoruplex sit interdictum recuperandæ possessionis? *n. 17.* **Quæ. IV.** An Iudicium possessorium de rebus spiritualibus institui debeat coram Iudice Ecclesiastico, an seculari? *Resp. si controversia sit de Jure possidendi, & Clericus instituat Interdictum retinendi, aut recuperandi possessionem Ecclesiæ, vel beneficii, in quo laicus eum turbat, vel vi deiecit; tum convenire eum potest, ac debet coram Iudice Ecclesiastico, idque propter qualitatem ipsius causæ, quæ spiritualis est, n. 18.* Secus est, si agatur de solo facto laici, v. g. turbantis, vel depellentis Clericum à possessione beneficii: tunc enim is, potest conveniri etiam coram Iudice seculari: nisi tali possessioni admixta sit questio de jure, seu proprietate, v. g. quia laicus conventus contendit, decimas non esse Clericales, sed laicales, vel feudales, *num. 19.*

*§. IV. An causa possessionis, & causa proprietatis apud eundem Iudicem tractari debeat?* *pag. 188.*

*Resp. affirmativè, nisi litigantes sint omnino diversi fori; ut, si Clericus obtinuit causam in Iudicio possessorio contra laicum, non tenetur eo finito, respondere super proprietate coram eodem Iudice seculari, sed coram Ecclesiastico conveniri debet, n. 20.* Requiritur tamen, ut Index de utraque causa, tam possessionis, quam proprietatis, cognoscere, possit, *cit. n. 20.*